

05 H 475

R

309



R 277. 300

# DISSERTATIO IVRIDICA DE **IVRAMENTO IN REM**

*Autore L. i. s. 3. ff. Quar. Rer. act. non. dat.*

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**

PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,  
ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GVERNATORE,

IN ILLVSTRI REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**SIMONE PETRO GASSE,**  
IVRIVM LICENTIATO,

IN AVDITORIO MAIORI

D. IVN. MDCCVI.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
**IOHANNES BERNHARDVS Dollstein,**

LAVTERBACO - FAGONO - FRANCVS.

---


HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYRIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.  
MDCCXL.

(4)

F.v.L.



05H 475



## OECONOMIA TOTIVS DISSERTATIONIS.

**I**n jurejurando religio, quatenus exterius in foro se exercit, consideratur, hinc propria superstitione jurare civiliter licet §. I. Jurisjurandi sunt diversæ species, que vulgo tractantur, non æque hæc de juramento in rem §. II. Quod describirur, quatenus scil. tertio nocere & prodeesse potest, ejusque utilitas commonistratur §. III. Porro ejus natura & autoritas diversis legibus fundantur §. IV. In quibus partim pro solutione reputatur, ibi an exceptio juramenti non praestiti habeat jura exceptionis non num. pec. §. V. partim pro transactione & re judicata, partim pro litis-contestatione, & quomodo perpetuet actionem temporariam §. VI. ita ut panam doli faciat transire ad heredes, & de juramento hoc in judiciis famosis §. VII. porro, quis deferre & remittere possit juramentum in rem traditur §. VIII. & quomodo hæc iuramenti species continetur in intricata l. 18. ff. de jurejur. §. IX. quibus deferri possit, & an obstat priuilegium quorundam circa formam jurandi, explicatur §. X. Causæ quoque, in quibus locum habeat, adducuntur, & quidem in societate perpetua

A 2 tuanda,

tuanda, cessione, & qua ratione moram successori jurantis communicet §. XI. De iuramento in rem in actionibus popularibus, & quomodo perjurium jus emphyteuseos etiam ante triennium tollat, ac jus ex restitutione minoris tertio proveniens, videatur §. XII. Item, quod juramentum tertio noceat in vim specialis hypothecæ, & suppleat defectum solennitatum in ultimis voluntatibus §. XIII. de aliis quoque juramentorum speciebus, in quibus juramentum in rem applicabile sit, agitur, & quidem de purgatorio & juramento in item, ibi simul negatur, in rebus estimandis dari juramentum in item veritatis §. XIV. De juramento suppletorio & desuper formata controversia contra Consultissimum Dominum D. Gerber. vid. §. XV. & XVI.

## §. I.



Ivinarum atque humanarum rerum notitia Jurisprudentia nostra divinas quidem res eatenus saltem considerat, quatenus per viam humanarum actionum exterius se exserunt; Inde Religio & Conscientia & Sacramentum in forum prodeunt & tribunal, & ibi dijudicantur. Hac ratione Jusjurandum, quod nos jam tractamus, in supplementum externæ probacionis adhibetur, & nihilominus pertinet ad Religionem, maxime ad conscientiam, & vocatur Sacramentum in specie auth. sacr. publ. C. si adv. vend. Nec obest, quod ea, quæ affirmativam vel negativam

tivam simplicem excedunt, a malo sint, nam & hic differentia inter malum culpe & pœnae adhiberi posset. Quare non est paradoxon, quod Divus Pius Jurejurando, quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit, *l.5. §.1. ff. de jurejur.* cum veritatem saltem queramus mediante religione, quæ, an vera an falsa sit, Theologis vel potius DEO dijudicandum committimus, nec dubitamus, Judices veritatem tum temporis æque compertos esse, cum per caput suum, *l.3. §.4. vel filiorum suorum l.4. ff. eod.* partes jurarent, vel per genium Principis, uti eam speciem Senatus Romanus post Julium Cæs. vel potius ejus infortunatam cædem recepit, prout ex Dionis *lib. 44.* hanc, & aliunde varia jurandi genera collegit Briss. *lib. 8. de form. pop. Rom.* Egregium sane genus, & cum regulis prudentiae maxime coniunctum! quod non tantum usu duravit, & continuatum, verum etiam deinceps nova qualitate auctum, quæ in eo consistebat, ut, si quis per genium principis jurasset & pejerasset, fustibus castigandus dimitteretur, & superdiceretur ei: πρωτερῶς μὴ ὄμνει. i. e. petulanter ne jurato, *l.13. §.f. ff. de jurejur.* quæ solennitates si haec tenus in usu essent, plures vel propter Principem, vel propter pœnam non temere ad jurandum faciles forent, & quanquam per genium Principis jurare Christiani intermisserunt, attamen per salutem Principis quandoque jurarunt, v. Tertull. *in apologet. c.32.* at nos hæc tantummodo præfati, non in præsenti juramenta in genere, sed nostram speciem tractaturi aggrediamur.

## §. II.

Varias vero & admodum diversas Juramento-  
rum species a Legum Interpretibus, vel his potius,  
qui vastum disciplinæ, exiguum Juris Corpus vel eius  
interpretationem in systemata Jurisprudentiæ pa-  
triæ, quantum possibile, transformarunt, data jura-  
mentorum explicandorum occasione traditas pro-  
diisse, cognitum cuique satis est; Jurisjurandi autem  
in rem & in personam distinctio, quod adeo ex pro-  
fesso ac reliquæ Juramentorum differentiæ tractata  
sit, non facile meminimus, quantum haec tenus me-  
minisse nostrum est. Quod, quominus observavi-  
mus, tanto magis miramur, cum hæc distinctio  
legalis sit, & ideo venerabilior, quibus distinctiones  
& definitiones legibus contentæ alias tanquam ipsa  
Legum autoritas estimatæ sunt; At vero hanc no-  
stram differentiam in ipsis rerum obtainere argumen-  
tis, & supeditatis legibus, & facta deductione e na-  
tura rerum & negotiorum ulterius patescat.

## §. III.

Quid sit Jusjurandum, quævis fere compendia  
catechetica sive theologica vel juridica abunde do-  
cent, nos saltem, quid sit iuramentum in rem, pro sco-  
po nostræ dissertationis consideramus, & utimur  
quidem voce juramenti in rubro velut magis practi-  
ca & stylo curiali probata, licet vocabulum jurisju-  
randi in textibus juris ut plurimum reperiatur. Sup-  
ponimus autem distinctionem terminorum in rem,  
& in personam, juxta tractationem juris analogicam  
& communem, quod sibi invicem contradistinguantur

tur ita, ut vox in re sive in rem semper ratione effe-  
ctus sui etiam tertiae personæ non contrahenti vel  
rem saltem habenti intuitu ipsius rei commodum vel  
incommodum communicet, quod secus est ratione  
vocabuli ad rem sive in personam, quo mediante ne-  
gotia mere personalia indigitantur, quæ personam  
agentem, contrahentem scil. vel delinquentem tan-  
tum stringunt, atque adeo alteri nec commodum  
nec incommodum adferre possunt, illaque negotia  
producunt actiones, quæ in rem vel in personam dan-  
tur, & efficiunt jus vel in re, vel ad rem, quæ distin-  
ctio ita necessaria est & utilis, ut eam fundamentum  
totius praxeos vocare haud dubitet Dn. Ludovici *in Distinct. jur. ad tir. ff. de Rer. Div. dist. 1.* quibus præco-  
gnitis nunc facile apparet, nobis juramentum in rem  
dici, quod ultra personam jurantis etiam tertiae per-  
sonæ vel prodeesse vel nocere potest; Quam rem de-  
monstrare & ad plerasque fere juramentorum species  
applicare arduum sane erit, cum plerumque juramenta  
considerentur tanquam mere personalia, quæ per-  
sonas jurantium non transgrediuntur, id quod apud  
plerisque Dd. in regulam abiit, quæ tradita videtur  
*in 1. 3. §. 3. ff. de jurejur. & variis textibus juris,* ubi  
ratio tanquam generalis exhibetur, quod jusjurandum  
alteri nec prodit nec noceat, cuius occa-  
sione, & quando nihilominus juramentum autoris  
successori nocere vel prodeesse deprehendunt, Dd.  
mirum in modum agitantur, distinguendo v.g. quod  
successor non sit habendus pro altero v. *Setser. de*  
*jurament. lib. 4. cap. 7. n. 14. 15. sqq.* non vero obseruando,  
quod illa juramenta, de quibus in textibus traditur,  
sua

sua natura sint personalia, & personam jurantis tantum tangant, addimus, id quod in futurum patet ulterius, quod non omnia iuramenta successorem teneant, & quod non omnis alter, cui juramentum tertii succurrit, hujus successor sit, ex quibus apparet, omnes illas difficultates fundata distinctione formaliter inter juramentum in rem & personam leviori via removeri posse.

## §. IV.

Idque eo magis, cum tot egregii casus, quorum solius naturae beneficio juramentum in rem apparere potuisset, Legibus contineantur, quarum nonnullas præoccupando in medium protulisse juvabit, & quidem prima esto, quam in rubro adduximus, in qua nostra distinctione verbotenus continetur *l. l. §. 3. ff.* Quar. rer. act. non dat. cuius verba haec sunt: *Si fideiussor juravit, siquidem DE SVA PERSONA tantum juravit, quasi se non esse obligatum, nihil reo proderit, si vero IN REM juravit, dabitur exceptio reo quoque, quæ lex juramentum in rem & in personam accuratissime separat;* Evidem non negamus, si eam penitus intueamur, subtilem intercedere distinctionem inter sensum verborum in rem, prout nos eo utimur, si quidem in textu sensus in se non est talis, qualem nos voluimus, ac ulteriori circumscriptione declaravimus *§. præced. scil.* perinde atque actio in rem dicitur, cum tamen in textu verba in rem idem velint ac pro toto debito sine liberatione ab eodem, quoniam vero per necessariam consequentiam sensus noster, & effectus, quem unice querimus, declaratur, & naturaliter, pro negotii qualitate invenitur, non multum

multum abest, quin asseramus, hanc explicationem nostram mystico sive, quod idem est, oratorio applicationis beneficio feliciter ad nos devolasse, quibus sufficere potest, intentionem in adducta lege clarissime fundatam demonstrasse, ulteriore vero autoritatem entis multiplicati si desideres, licet multam adduci posse facile negemus, sufficiat tibi B. Dn. Brunn. *adff. in Comment. ad all. l.* Adhuc alias textus ratione fidejussoris & correi & de horum juramento in rem, cum adhibita ratione dispositionis invenitur *in tit. ff. de jurejur. & ejus l. 28. in pr. §. 1. 2. & 3.* in qua lege si §. 4. usque ad 9. inspicias, deprehendes alium quoque effectum juramenti in rem, videlicet, si quis jurejurando se ab actione quadam liberavit, liberat se quoque ab alia actione, quae intuitu ejusdem rei institui potuisset, non vero, si quis juravit, se non rapuisse etiam juvatur hoc jurejurando in actione furti; exempla vide *in all. §§.* at ille effectus est minus principalis & scopum nostrum non æque tangit. Denique juramentum in rem non tantum correis & fidejussoribus prodest, sed & successoribus eorum, etiam iis, qui in rem successerunt, *l. 8. ff. de jurejur. de quibus, & cui ulterius proficit v. Zanger. de Except. part. 3. cap. 16. n. 29. 30. 31. & seqq.* neque obstat natura actionis & modi obligandi, sive illa enim in rem sit, sive in personam, gaudent nihilominus successores dicto beneficio juramenti praestiti, ut contra Paul. de Castr. & Dd. *in l. ait Prætor. ff. de jurejur.* concludit Donell. *in Comment. ad dict. tit.*

## §. V.

Est enim juramentum loco solutionis, l. 27. & 35.  
 §. 1. ff de jurejur. & ita facta vera solutione & probata, quo minus quivis alias, qui ex eadem causa conveniri poterat, liberetur, non est dubium. Hac vero occasione cum de comparatione solutionis & jurisjurandi agamus, non possumus non monere, an non etiam intra biennium obstare possit exceptio jurisjurandi nondum praestiti, quæ alias in se fundata est in l. 9. pr. ff. de jurejur. forte si Titius in schedula confiteatur Cajum jurasse, deinde vero intra biennium Cajo opponat dictam exceptionem non dati jurisjurandi, annon Catus aliunde juramenti factam prestationem probare teneatur, & putamus propter sup. all. l. 27. omnino rem affirmandam esse, (licet non negemus, rarius spe juramenti praestandi in scriptis confessionem anticipari) non enim juramentum, quod loco solutionis est, majora privilegia circa sui probationem acquirere potest quam ipsa solutio, suppositis tamen ubique terminis ad solutionem habilibus; Ceterum illud quoque addendum, quod, si ita juratum sit: pecuniam numeratam reddam, habeat locum exceptio non numerata pecuniæ, si vero ita pecunia mihi numerata est, locum exceptio non inventit, v. Brunn. ad L. 16. C. de non num. pec. Zang. de Except. p. 3. cap. 14. n. 73. & ibi all. Dd. hic enim in rem juratum est, ibi res adhuc supponitur.

## §. VI.

Sed & plures textus adsunt, in quibus singulariter juramentum in rem fundatur, quando scil. vis transactionis ipsis tribuitur in l. 2. ff. de jurejur. quæ sine dubio successores comprehendit & obligat, imo vero major est

est vis juramenti quam transactionis, quandoquidem transactio de crimine non capitali illicita est & infamis, & transigentem tanquam confessum & convictum prodit, *per famos. l. 18. C. de Transact. quod secus est in eo, qui juramentum desuper praestat; Pro re judicata quoque jusjurandum est, imo majorem ea autoritatem habet, did. l. 2. ff. de jurejur. contra matrimonium vero uti nec transactionem, ita nec iuramentum valere nonnulli volunt, quod sane Papismum sapit, vid. singularis hac de re dissertat. Excell. Dn. Jo. Sam. Stryk de Delatione jurementi in matrimonialibus, praeprimis cum judicialis transactio contra matrimonium inter despontatos valeat, Carpz. l. 3. Jurispr. Eccles. D. 39. At ille modus jurisjurandi in rem efficiendinon poterat praeteriri, ubi solius jurementi beneficio res, quæ alias sua natura transitoria erat, & ubi obligatio alias exspirasset, ad alterum nihilominus pervenire potest, videlicet, quando in l. 9. §. 3. ff. de jurejur. deciditur, quod per juramenti delationem & præstationem ex actione temporaria fiat perpetua, & ita Juramentum habeat vim litis contestationis, cuius natura alias est perpetuare actiones, quam sententiam in tantum valere, ut nec statutum certum tempus actionibus vel debiti petitioni præscribens, in contrarium valeat, tradit Seraph. de Seraph. de Privil. Juram. Priv. 51. n. 2. cui rei tamen elegantes limitationes quoad præscriptionem in merum odium negligentis introductam addit n. 7. d. 1. Pari modo comparatio jurementi cum litis contestatione instituitur in l. 28. §. ex quibus 2. ff. de Iudic. in qua simul regula formatur, quod ubi quis non tenetur judicium*

accipere, & litem contestari, ibi nec teneatur accipere juramentum delatum, quia hoc jusjurandum in locum litis contestatae succederet, quo sensu hanc rem ulterius illustrat Ludovicus Gomez in §. item si postulante n. 5. § 32. Inst. de act.

## §. VII.

Et ita poena quoque, quæ alias tenere debebat suos autores delicti, mediante juramento ad heredes transfire potest, nisi sit criminalis I. 20. pr. ff. de accusat. quia juramentum est pro litis contestatione, lis vero etiam super poena fuissest contestata, rursus per juramentum delatum præstitum, alter, qui detulit, in mora constituitur, sicut per litis contestationem Caballin. de Evid. §. 3. n. 53. Evidem, si naturam negotii hic introspicimus, forte ad litis contestationem affirmativam decisio magis quadraret, utpote quæ sua natura moram innuit, & nisi afferendum, quod litis contestatio negativa per probationem refutata, pro affirmativa habenda sit, ullam dispositioni rationem inesse desperaremus. Enimvero probe separanda sunt, quæ dolum personæ respiciunt, & personalia sunt in juramento, & quæ rem ipsam afficiunt, quod judicium finium regundorum in præsenti nostrum est; At objicies hujus occasione, altioris esse indaginis, an de dolo & in famoso judicio juramentum locum habeat, nos vero minime dubitamus, præprioris cum & causa civilis famosa esse possit, & contractus ad heredes transeant, dolus vero per consequiam tali juramento tantummodo elicetur, potissimum ipsa res, si itaque juramentum in causis famosis civilibus recusaretur, sane egregia probationis spe-

species deficeret, & adimeretur per indirectum, adeo-  
que duo istiusmodi juramenti sunt capita, alterum  
in rem, alterum in personam, non vero quædam  
qualitas personalis potest tollere juramentum in rem;  
& licet dissentiat Carpz. p. 1. c. 12. def. 31. attamen mu-  
tavit opinionem p. 3. Dec. 231. v. Struv. Exerc. 17. ib. 40.  
& omnino Bach. ad tit. ff. de his qui not. inf. C. 2. p. 769.  
Hill. L. 24. c. 2. lit. Q. Evidem quandoque natura  
juramenti mixta esse potest, & adeo difficilior in eo  
personalium, & quæ in rem sunt, dijudicatio, sic  
juramentum respondendorum tantummodo pro spe-  
cie juramenti calumniæ habetur a plerisque Dd. v.  
Mev. p. 3. dec. 175. & ita ad juramenta personalia sine  
dubio referendum esset, at vero æstimamus, hoc tan-  
tum valere, quatenus juramento litis decisorio oppo-  
nitur, alias enim juramentum respondendorum et-  
iam vim litis contestationis habere, & consequenter  
eatenus in rem esse, & quæ de comparatione litis  
contestationis & jurisjurandi diximus, hic applicari  
posse, persuasi sumus.

## §. VIII.

Hicce igitur de natura juramenti in rem genera-  
liter suppositis, sequitur nunc de delatione ejus, & quis  
juramentum in præjudicium vel favorem tertii defer-  
re possit, & quidem facile patet, eum, qui intuitu &  
ratione rei lucrum vel damnum cum altero habet  
commune, vel qui rem ad tertium transferre potest,  
ita ut illius factum præstare teneatur, vel denique si  
extrajudiciale sit, quemque cuique per quemcunque  
conventionis modum deferre posse, rejicimus vero

B 3

ante

ante omnia falsum postulatum, quod , cui referri non potest jusjurandum , ille nec deferre possit , quod monet Ant. Faber *l. 4. Cod. tit. 1. def. 9.* & ex eo Carpz. *P. 1. c. 14. def. 16.* nam nec actori , qui rei notitiam non habet , referri potest , cui tamen deferre omnino permisum , *l. 34. §. 8. ff. de jurejur.* Cravetta *conf. 207. seqq.* inde arguimus , si persona infamis juramentum in rem præstandum detulerit , honestæ personæ præjudicium adferre posse , nec excipimus delatores juramentorum nisi mentis & administrationis expertes , quorum tamen defectum tutoris vel curatoris autoritas supplere potest . per *l. 1. §. 1. ff. Quar. rer. act. non dat.* de minore autem quæstio est dubia & variis causis , & textuum argumentis controversa , quam tamen ad naturam rei si applicemus , considerando , quod minor sine dubio adversus delationem in integrum restitui possit per *l. 9. §. se minor ff. de jurejur.* Gail. *L. 2. obs. 4. n. 11.* facile distinguimus , aut enim minor læsus est , aut non , si hoc , inutilis est quæstio , sin prius , ad quid juramenti delatio , quæ restitutioni obnoxia , nihilominus , ad nostrum scopum quod magis est , si tamen minor forte tanquam correus stipulandi juramentum deferat , annon usurrandum correo majorenno nocebit ? & respondemus affirmando , quoniam restitutio est tantummodo beneficium personale pro minore introductum , & si alter reorum stipulandi jusjurandum detulerit , debitor alteri solvendo nihil agit , non tam , quia delatio juramenti pro litis contestatione est , de qua hoc asseritur , sed & propter generalitatem textus , *l. 16. ff. de duobus reis* , hoc est , quia debitor in solidum obligatus , simul duobus pro illo solido respon-

spondere non tenetur, probe vero hic qualitas correi stipulandi notanda ex l. 2. ff. d. t. & melius ex l. 57. §. 1. ff. de solution. Idem est, si alter stipulandi reus juramentum remittit; hoc est, si se deferente, cum paratus esset alter jurare, gratiam ei facit. l. 6. 9. §. 1. ff. de jure jur. hic enim eadem causa est, quæ ratione debitoris semel exspiraverat, alias vero in causis separatis regula manet, quod juramentum de re vel propter rem præstandum non remittatur, parte scil. altera invita, propter l. Quotiens 14. ff. eod. ubi, quod nec parenti, nec patrono, quoties propter rem juratur, tale juramentum remittendum, & separatur ibi juramentum in rem a juramento calumniæ, utpote quod mere in personam & pro persona præstatur, & ideo pro diversitate & speciali respectu personæ remitti potest, cum præsumtio sit pro parente & patrono contra calumniam l. 16. ff. eod. Carpz. p. 1. c. 12. def. 24. nec obst. l. 34. §. 4. ff. eod. cuius verba cum omnem analogiam juris turbent, sine dubio aliter legenda v. Godofred. in not. ad d. l. eadem judex observare posset ratione ministrorum ecclesiæ, qui quandoque loco juramenti auf ihre Amts-Pflicht rem asserere se offerunt, si scil. pro persona sua, non in rem juraturi sunt, addimus, si tertius non habet jus quæsitum.

## §. IX.

Antequam ad eos deveniamus, quibus juramentum hoc deferri possit, non possumus non adducere casum de delatione procuratoris ex intricata l. 18 ff. de jure jur. quæ cum §. precedente 3. l. 17. tam tenaci compage conjuncta est, ut media illa verba:  
nec

nec postea reus, qui semel juravit a Domino conveniatur, ad connexionem servandam prætulisse demum sufficeret. Videlicet, procuratorem in rem suam, & qui speciale mandatum habet, aut omnium bonorum administrationem, recte deferre juramentum, sensus est dict. §.3. alias enim inquit l. 18. hoc est, si talis procurator non sit, non multum reo proficere, si fuerit ei de rato cautum, sive enim Dominus petat, cogetur docere reus LIQUIDO se jurasse, &c. quid vero hic sit liquido jurare, interpres multum vexavit, ut multi præterierint legem, nonnulli pro vere jurare ut Duarenus, & aperte ut Accursius, vel οαφως ut Cujacius, verba intellexerint, quos refert Godofredus in not. ad d. l. Nos in tanta varietate non multum aberrare posse crediderimus, si idem ac in rem jurare, denotari censeamus, hoc est, ut probet reus, se in ipsam rem jurasse, quod juramentum tertium stringere potest, ita ut hic creditor juramento stare necesse quoque habeat, etiamsi factum procuratoris ratihabere nolit, forte si ipse juramentum impedire non potuisset, ut putasi reus manum jurato diffessus fuerit, procuratore juramentum diffessionis vel recognitionem urgente, nam nec ipse dominus recognitionem sine jurata diffessione solam prætendere potuisset; ubi itaque forte procuratori instrumentum guarentigiatum cum mandato ad debitum exigendum tradiderat, hic sane cum recognitione sine dubio juratam diffessionem conjungere tenebatur, præprimis si non coram testibus obligacionis instrumentum consecutum sit, nam recognitio per testes, qui non tempore scripturæ præsentes fuerunt, sane omnem rationem & probandi naturam tollit, etiamsi

etiam si dissentiat Carpz. p. 1. c. 17. Def. 14 n. 7. Pariter se res habet, si per modum conventionis, vel in ipsa obligatione juramenti mentio facta.

## §. X.

Ratione eorum, quibus juramentum deferri potest, ut in rem sit, supponimus primo easdem qualitates, quas deferentibus paulo ante adscriptissimus, etiam quoad juramentum voluntarium, quod cuique volenti, cui nihil cum illa re negotii, deferri possit: non enim est dubium, si tertio extrajudicialiter jurandum deferam, ut juret, Titum mihi, vel antecessoribus meis, vel majoribus solvisse, forte propter amplam & agilem Titii conscientiam, isque juret solutionem factam esse, exinde Titum liberari, etiam si enim tertius de sua tantum scientia jurare possit, at tamen fuit juramentum in rem, & valet tanquam conventionis, quae inest delationi; Don. lib. 24. c. 17. ib. Hillig. lit. K. At ratione pupilli res diversa est, hunc enim juramentum deferre quidem non posse sine tutoris autoritate asseruimus paulo ante, nihilominus ipsi deferri illud potest, per I. qui jurasse 26. in pr. de jurejur. scilicet non invito I. 34. §. 2. eod. puta, ut delatum praestitum valeat in prejudicium etiam successorum deferentis, licet alias nec jurare, nec pejerare pupillus possit. Paul. in d. I. qui jurasse. Imputent enim stultitiae antecessoris sui deferentis, quod pupillum jurare voluerit; servo quoque & filio familias juramentum in rem deferri potest, ut Domino I. 23. & patri familias proficit, I. multo magis 24. ff. a. t. & contra juramentum patris filio prodest I. 26. §. 1. d. t. de quo

C

tamen

tamen patris juramento duplex conceptus formandus: aut enim pater juramentum delatum præstat, filium dare non oportere, & tale omnino prodest filio; aut jurat, filium tantum in bonis seu peculio non habere, ut solvere possit, & filius conveniri adhuc potest, imo etiam pater, ut de peculio post juramentum acquisito solutio fiat. Cæterum, quæ de correo & fidejussore sœpemonuimus, ratione delegationis ad socios quoque & litis confortes extendi posse non est dubium, nec putamus quicquam interesse, an ex iis aliquis Princeps sit vel illustris, vel judæus, vel alia persona, cùjus forma jurandi aliam rationem habet, supponimus enim, formulam *bey Fürstlichen oder Adelichen Ehren und Treuen* hodie vim juramenti habere, Myns. 1. obs. 17. Gail. lib. 2. obs. 59. per tot. & ratione judæi vel alterius, monuimus statim ab initio, quod jusjurandum propria superstitione dari possit; Nec denique, etiamsi probato perjurio eum, quem juramento suo liberavit altera pars, deinceps conveniri posse statuimus, tametsi enim alter obiiciat: quæstio quidem non est, an debatur, sed an juratum sit, at vero tu non jurati, nihilominus sufficit juramentum fuisse in rem, & non pro persona jurantis solummodo præstitum; id quod tamen limitandum in juramento a judice delato propter famos. I. admonendi 31. ff. de jurejur.

### §. XI.

In causis itaque, ubi juramentum in rem obtinere debet, accurata sane & ardua discretione opus est, nec facile semper dijudicatu, an in rem juratum sit,

fit, etiamsi quandoque illud videatur. Ponamus, quendam e societate cum aliquo tertio contraxisse, si tertius socio alterius deferente juravit societatis nomine ab eo centum sibi deberi, non statim in rem juratum est, ut noceat reliquis sociis, supponitur enim adhuc qualitas illa personalis, an secundum legem & formam societatis debitum contraxerit, an non proprio, non societatis nomine hic considerandus sit, ut adeo hoc supposito reliqui socii in solidum non teneantur, v. Felic. *de societ. c. 30. n. 7.* Gratian. *Dec. 178. n. n.* Farinac. *tom. 2. Decif. Christ. Dec. 52. n. 3.* contra si socius se solvisse juret debitum a tertio prætensum, reliquos socios omnino liberat. Ceterum etiamsi contractus societatis ratione durationis & continuationis ad heredes non transeat, attamen mediante juramento id effici posse, & qua ratione jusjurandum perpetuet societatem, & ad heredes transmittat, variis & elegantibus rationibus tradit Seraph. *de Seraph. de privil. juram. priv. 57. per tot.* quam sententiam tamen vix applicabilem existimaverimus, nisi per modum confirmationis juramentum accessisse fuerit suppositum, v. § *solvitur. 5. Inst. de societ.* Etenim in contractibus confirmandis multum successori & tertio juramento commodi & incommodi adferri potest, quod etiam in causis ultimarum voluntatum procedere deinceps videbimus. Sane contractum valde iniquum, quo mediante Esau vendebat primogenituram, & inde resultantem prærogativam, vix ad heredes potuisse pervenire credimus, nisi jurisjurandi religio accessisset, qua mediante instar cautelæ confirmationem sibi fieri curabat

bat Jacobus Genes. 25. in fin. v. Tiraquell. de jure primogenit. Quæst. 29. Quare in antecessum regulam formari posse putamus, quod effectus juramenti sit cessibilis, quia ad heredes transmissibilis. Cæterum illud quoque generaliter de juramento contractibus adjecto notabile, quod moram operetur ipso jure, unde inferimus, heredem quoque pro moroso haberet posse ex juramento antecessoris, etiam si interpellatio nulla præcesserit, quod inde colligimus, quoniam juramentum pro interpellatione habetur, v. Dec. in l. quod te. s. ff. de reb. cred. Corset. in rub. de jurejur. in 4. privileg. Cravet. Conf. 64. num. 2. nec interpellatione opus est, ubi is, qui dare velle juravit, perpetua conscientiæ interpellatione & animæ metu turbari debebat. At interpellabis, res conscientiæ sunt valde personales, & periculum animæ non transit ad heredes: respondemus, sufficere, quod semel mediante juramento mora intercesserit, de qua cum successores certi sint, nullum est dubium, illos quovis tempore solvere debere.

### §. XII.

In reliquis juramentis contractibus adiectis sive juramentis confirmatoriis generaliter notandum, quod contractus non improbati vel delinquentis, licet laudentis effectum ad heredes transferant, quem alias servare obligati non fuissent, prout Dd. in casu cap. cum contingat de jurejur. & cap. licet eod. tit. in 6. Paul. Castrenf. conf. 65. & 67. est enim juramentum species quasi contractus, per l. depositi. §. 2. ff. de pecul. l. cum qui; §. si mulier, ff. de jurejur. & tollit omnem exceptio-

ceptionem & remedia, quibus contractus etiam per successores rescindi potuisset. Cravett. *Conf. n. 4. n. 9.* Roland. a Valle *Conf. 59. n. 18.* At vero de his dicere nimis ultra instituti nostri metas excederet, proinde vulgare esset, & quosvis fere de hac re scriptores intuentibus obviam; nos saltem quædam singularia juramenti in rem adhuc notabimus, quorsum referimus, quod in popularibus actionibus juramentum ab uno exactum etiam adversus alios proficit, ut nemus de populo amplius agere possit, si scil. bona fide & non per collusionem exactum sit, per dispositionem *l. 30. §. in popularibus ff. de jurejur.* cui addi potest, quod, cum actiones populares non dentur contra heredes, mediante tamen juramento id fieri possit, iuxta analogiam eorum, quæ supra diximus §. 6. Ita quoque de emphytevta notum est, quod non solvendo canonem non solum sibi, sed & successoribus præjudicet, puta in emphytevsi hereditaria, secus enim est, si non sit hereditaria, hoc est, si filio ex privilegio concedentis competit, & ita filio tanquam filio, non tanquam heredi concessa, v. Natta *Conf. 501. num. 15. ir. Conf. 503 n. 3. §. 4.* Quando itaque Jcti statuant, quod emphytevta, qui juravit statuto tempore canonem se soluturum, si non solvat, etiam ante triennium in civili, & ante biennium in ecclesiastica emphytevsi, hac plane privandus sit, v. Felin. *in C. querelam de jurejur.* non est dubium, quin illud juramentum in rem sit, & heredibus se communicet, & eodem modo emphytevsis amittatur, unde etiam apparet, nec perjurium adeo personallissimum, sed ejus effectum quandoque ad tertium

transitorium esse. Ratione restitutionis minoris quoque notabile, quod cum alias intuitu l. 19. ff. de minoribus curiosa ratione agitetur inter Dd. quomodo restituendus sit hæres minoris, vel quomodo quadriennium computandum, si minor juravit, hæc omnia cessent, & simul ipsum beneficium restitutio-  
nis, non enim in rem, hoc est, in contractum tan-  
tum juratum est, sed & quasi pro majorenitate,  
cum juramentum faciat ex minore majorem, uti  
communiter Dd. in auth. sacram. pub. C. si advers. vend.  
& in l. si quis major. C. de transact.

### §. XIII.

Illud valde singulare est, quod juramentum ope-  
retur specialem hypothecam, videlicet si juravero,  
contraictum me servare velle, idem est, ac si in eum  
eventum, ubi contraictum non servavero, rem spe-  
ciali hypothecæ objiciam, quod valde durum videri  
posset, cum alias natura non servati contraictus ad  
interesse saltem actionem producat, quod præstan-  
do, qui ad factum se obligavit, regulariter liberatur,  
hypotheca vero etiam tertio obest, tanquam jus in  
re, nihilominus communiter dicta sententia traditur,  
ita, si quis locavit fundum & juravit durante locationis  
tempore, se contraictui contravenire nolle, si tamen  
vendidit, emtor conductorem expellere neutiquam  
potest, ac si specialis hypotheca desuper concessa sit,  
cujus tamen mentio in contractu non facta. vid.  
Surd. Dec. 225. num. ii. Zonian. lib. i. rer. quotidianar.  
cap. 23. in fin. Vafqu. lib. 3. illuſtr. controversial. cap. 57. n. 13.  
Setser. de Juram. lib. i. c. 25. n. 70. cuius rei rationem in  
comparatione juramenti & hypothecæ specialis quæ-  
rimus,

rimus, possit enim obstare, quod juramentum non possit immutare naturam contractus, ut ex personali fiat realis: at respondetur, nec hypothecam id valere, sed & illam esse accessoriam faltem ad contractum principalem, v. Benckendorff. *ad Seraph. in addit. ad privil. 158. n. 6.* non obstante l. 2. *C. de Iurion. pign.* quippe quæ ad præscriptionem tantum restringenda, perinde igitur, ac hypotheca specialem consensum de re illa in specie obliganda prodit, ita quoque juramentum idem præstat in superiori casu, cuius decisionem etiam ad pactum protimiseos & reliquos contractus ceteris paribus extendi posse non dubitamus. In ultimis voluntatibus quoque juramentum tertio multum prodesse potest, quando scil. juramentum supplet defectum solemnitatum, & ita efficit, ut testes præsumantur specialiter rogati, Alciat. *in præsumpt. regul. 3. præsumt. 13. n. 4.* habetque vim clausulæ codicillaris per l. cum pater 77. §. filius matrem 23. ff. de legat. 2. ibi Bart. & fidei commissi, Bart. *ad l. 16. ff.* de donat. veluti si quis juret in testamento Titium non plus quam centum debere, quod plus debet tanquam fideicommissum i. si relictum censembitur.

## §. XIV.

Vltimo loco restat dicendum, an in omnibus juramenti speciebus in rem jurari possit, & quidem repetenda sunt ea, quæ ad naturam juramenti in rem quadrare in antecedentibus premonuimus; cuius itaque juramenti species pro objecto saltet qualitatem personalem habet, illa huc non pertinet. Et hæc regula facile quoque comprehendit non tantum quæ juramenta pure & mere talia sunt, sed & quæ,

quæ, et si in rem videantur, nihilominus latentem quandam conditionem personalium includunt: Ita juramento purgatorio regulariter quilibet saltem pro sua persona præsumptiones & suspiciones a se avertit, & ita si plures adsint gravati, illis eodem juramento non succurritur, nihilominus, si ita in rem juretur altero deferente, ut simul fundamentum præsumptionum contrariarum vel suspicionum plane tollatur, videlicet illam rem, de qua suspiciones desumptæ sunt, nunquam in rerum natura fuisse, sine dubio reliquis omnibus gravatis juramentum proderit: & e contrario si unus ex pluribus interveniente reliquorum consensu se purgatus est, & in purgatione defecerit, reliquis nocebit, & omnes pro convictis habendi erunt, v. Setser. *de Juram. lib. 3. cap. II. n. 49.* Quoad juramentum vero in litem, si plures adsint, ardua res erit, est enim juramentum in litem res æstimationis, æstimatio res judicij, at vero quot capita, tot iudicia, quot corda, tot æstimationes ex affectionibus quippe provenientes, id quod elegantissime pluribus docuit Excell. Dn. Thomasius in *Dissert. de Pretio Affectionis in res fungibles non cadente cap. 3. §. 24. & seqq.* præcipue, si supponamus, quandoque juramentum in litem affectionis, quandoque veritatis, locum habere. At vero monendum nobis hoc loco statim ab initio est, nos illam differentiam in rebus æstimandis ex rationibus dicendis plane non agnoscerre, omne enim in litem juramentum rei æstimatorum affectionis est, & ex affectione determinatur, aliud est in præstanto interesse, age videamus, annon haec sententia stare possit. Equidem regerent Dd. communis.

muniter: in juramento in litem veritatis tanti lis saltem æstimatur, quanti revera valuit, nos vero quærimus, quid hoc sibi vult? respondent, secundum communem valorem, at yero nos nec hæc comprehendimus nisi tanquam petitionem principii: quis enim determinabit illum valorem? non judex, nam si hic rem æstimare vel valorem determinare aliter possit, juramentum in litem veritatis juxta itidem communem opinionem plane non habet locum, vid. l. 3. l. 4. §. f. ff. de in litem jurando, ergo æstimationi jurantis res unice committenda, quam sua natura esse rem judicij & affectionis præoccupavimus, qualis tamdiu manet, quamdiu judex æstimationem determinare & ita æstimantis affectionem vel affectum compescere nequit, & quando illud potest, iterum juramentum in litem veritatis non habet locum, ergo est ens rationis, nisi dicamus, illud, quod ex affectu in causa propria æstimatur, præsumendum & fingendum esse, ac si verum pretium esset, ratione juramenti itaque in rem quoad juramentum affectionis, notandum, quod illud hic non facile intervenire, hoc est tertio prodesse vel nocere possit, cum correli & socii & litis confortes omnes hodie pro parte rei divisa considerari possint, nisi forte ratione ejusdem mercaturæ socii sint. v. Perez. ad tit. de duobus reis n. 17. Carpz. P. 2. c. 17. d. 12. §. 15.

## §. XV.

Denique in suppletorio quoque juramento, si plures adsint, unus in rem jurare potest, ubi tamen ad illum potius respiciendum, de cuius vita integritate magis constat; plura vero de hac juramenti spe-

D

cie

cie occurrent ex sequenti facti specie, quam vt altius consideremus, nimiam occasionem nobis præbuit Clarissimus & Consultiss. D. GEORG. GERBET, illam proponendo in tractatu *de cautel. Jurament.* p. 549. & seqq. Est vero causa appellationis Dominorum de Marschalch contra den. Königl. Preuß. Obri-  
sten Hn. Hans Adam von Ende, quam ex iplis actis refert, quæ cum & nos ad manus habeamus, viden-  
dum, qua fide ac discretione relationem perfecerit, quo facto tertium ad judicandum enixe invitamus. Ut vero brevitati studeamus, factum est tale: Domi-  
nus de Wutenu in feudo Saxonico Schnadiz simultanee investitum sibi assumit extraneum quendam Dominum de Marschalch, multis tamen conditionibus præscriptis & expressis in speciali pacto & re-  
versu feudali, quarum huc pertinet illa, quod Dn. de Wutenu omnem liberimam dispositionem sibi re-  
servavit, etiam sine simultanee investiti de Marschalch consensu vendendi feudum, dandis tamen in hunc eventum mille imperialibus, postea vendito feudo Schnadiz, non mille imperiales sed eorum loco aliam simultaneam investituram in feudo Anhaltino Trinum itidem a Dn. de Wutenu & pecunia quidem Schnadizensi acquisitum accepit, quæstio est: an non sub iisdem conditionibus, præcipue cum in pacto de Schnadiz Dn. de Marschalch in eum eventum, ubi feu-  
dum finita masculina progenie de Wutenu, ad se per-  
veniret, tredecim mille imperiales heredibus de Wu-  
tenau allodialibus se soluturum promittere debuerit, ut sane ridiculum sit, in feudo surrogato Trinum, filia-  
bus de Wutenu neglectis, Domino de Marschalch simul-

simultaneam investituram sine his effective repetitis,  
& ad feudum Trinum transeuntibus acquisitam intel-  
ligi debere; at haec ne quidem sufficiunt, ipse Dn. de  
Marschalch deinceps subscripta obligatione super  
Trinum tanquam simultanee investitus non tantum  
expressam mentionem reversus & paeti feudalis fecit,  
sed & conditionis pecuniae a se aliquando exsolvenda  
heredibus de Wutenu allodialibus, in eventum ac-  
cepti feudi Trinum, proinde elaborata quædam facti  
species adest, a justitiario Dni de Wutenu, filio, qui  
adhuc vivit & desuper juravit, in calamum dictitata,  
qua mediante probatum, quod illo tempore, cum uter-  
que de Wutenu & de Marschalch adhuc viveret, jam  
expressa mentio inter illos facta de surrogatione a  
**Schnadib** ad Trinum, orta tum temporis lite, an non  
Dn. de Wutenu, qui saepe dictos mille imperiales sol-  
vere nolebat, satisfaciat domino de Marschalch, per ac-  
quisitionem alterius simultaneæ investiture Trinum.  
His igitur circumstantiis in foro sat agitatis, sententia  
pronuntiata est, concepta a Dnn. Marpurgensibus,  
qui non potuerunt non dominum Tribunum von  
Ende, tanquam possessorem feudi Trinum, contra  
quem filii dicti domini de Marschalch actionem feudi  
revocatoriam instituerant, eo quod paetum patris  
praestare necesse habeant, plane absolvere, quæ senten-  
tia publicata cum omnibus circumstantiis, quas addu-  
ximus probatis & documentis exhibitis videre est in  
deductione quadam publicata, cui titulus: A etenim si-  
fuge deductio juris & facti &c. in causa des Königl.  
Preußl. Obristen Herrn Hans Adam von Ende  
Beflagten und Appellaten contra die Serren Ge-

D 2 brüde

brüdere die Marschalle von Bieberstein Klägere und Appellant &c. At vero post illam sententiam, & in leuterationis instantia pronunciarunt Dni Wittebergenses, & antequam absolverent reum, nescio qua subtilitate juramentum suppletorium desiderarunt super quadam circumstantia, scil. quod reversus ille de Schnaditz Saxonico feudo, in curia feudali Anhaltina, ubi de Trinum lis agitata, ante litem motam repertus fuerit, utpote quam circumstantiam in reprobatione præsumptionis loco obiter allegaverat Dn. von Ende.

## §. XVI.

De hoc vero juramento suppletorio inter consultissimum Virum & nos potissima erit quæstio, nam reliqua ad nos in præsenti non pertinent; ita enim ipse format controversiam, quod scil. non possit jurari in supplementum de credulitate a reo, cum ne quidem de veritate valeat, ubi actor plene probavit. Antequam itaque ad hæc respondeamus, primo loco videntur, an in facto res ita se habeat, atque consultissimus vir adduxit, ita enim pag. 549. n. 272. in duo distincta capita ipse dividit juramentum a Dnis Wittebergen-sibus postulatum, & utrumque de credulitate esse firmiter asserit, in verbis: Und zwar, daß er sowohl glaube und davor halte, daß (1) der Schnaditzsche Lehns-Vergleich zur Zeit, da der Domherr von Marschall die Mitbelehnschafft am Ritter-Gut Trinum erhalten, in das Fürstliche Lehns-Archiv zu Cöthen wäre geleget, und er also auch (2) glaube und davor halte, daß der Vergleich damahls wäre wieder erneuert worden; Cui sane

sane terribili facti immutationi non possumus meliori via obviam ire, quam ut ipsa verba sententiae Wittebergensis, quatenus huc pertinent, expressa in medium producamus, quæ vero ita se habent: Jam ubri- gen aber, und was Klägere anlanget, verbleibet es angeregter, ingleichen, wann Beklagtens Principal zuforderst nach vorhergehender scharfen Verwarnung für der schweren Strafe des Meineydes, eydlich erhalten, und, daß der, zwischen Ludwig von Wuthenau und George Job Marschalln von Biberstein, wegen des Guts Schnaditz aufgerichtete Lebns-Vergleich, unterm dato den 6ten Maii Anno 1658. vor angestellten Proces in dem Fürstlich Anhaltischen Archiv zu Cöthen, in Originali verwahrlich zu befinden gewesen, demnach er glaube und gewiß dafür halte, daß angezogener Lebns-Vergleich von ermeldten Particularen ebenmäßig auf das nachhe- ro erftauffte Gut Trium erstrecket worden, in Supplementum geschworen, Klägers und Mit- Klägers Leuterungen ungeachtet, bey dem, den 6. Septembr des abgewichenen 1701. Jahres eröffneten Urtheil billig, jedoch wegen Beklagtens mit diesen Erklärungen, daß so dann dessen Principal von angestellter Klage zu entbinden und loszuziehen, hingegen nur zwey fünf Theil von denen erkandten 700. Thlrn. Klägers Principalen zu erstatten schuldig, von Rechtswegen. Jam quælo & iterum quælo judicet omnis cordatus, an utrumque juramenti caput sit credulitatis, an non pri- um expresse de veritate agat, atque adeo cum sane

D 3

maxi-

maximus controversiæ status hoc loco in eo fundetur, an pactum Schnadizense in curia Anhaltina fuerit repertum, & quidem ante litem motam, quod iterum minus rite mutavit Dn. Autor, de quo casu agit primum caput juramenti; judicet iterum quisque, an fundamentum causæ in juramento aliquo credulitatis positum sit, illo enim factō probato, juramentum credulitatis de extensione pacti & surrogatione parum ad rem faciet, sed hæc credere tum judicis est, qui valde incredulus esset, si non illo probato hæc facile colligeret. Et sine dubio Dn. von Ende cum feudum a Dno. de Wutenu emeret, hoc pactum a patre dominorum de Marschalch celebratum in Curia feudalib⁹ sibi monstrari curavit, ut de veritate jurare apprime potuerit, post semiplenam hujus puncti factam probationem, quam ex suppletorio supponimus. Atque adeo tantum abest, totam causam esse juramento credulitatis decidendam, ut potius nos addamus, illud juramentum nec quicquam ad rem facere, cum illius facti Dni Marpurgenses in prima sententia & rationibus decidendi ne quidem mentionem fecerint, sed ad clara & liquida documenta sententiam potius conceperint: accedit nunc ex post factō, quod dominus tribunus von Ende acceptum illud juramentum beata morte suppleverit, mors enim pro juramento est, de qua re varios textus & Dd. alleg. vid. apud Setser. *de juram. lib. 5. cap. 4. num. 26.* Quare satius fuisse ea omittere, quæ in seq. p. 576. de collusione & suspicione perjurii adduxit Consultissimus Dn. Autor, durum enim satis est, ex nuntii cuiusdam vilis hominis enuntiatione illustris Regiminis personas illustremque virum collusionis

fisionis arguere, & si forte de vitata vel vitanda suspicio-  
cione perjurii ipsi sermo fuisset necessarius, potuisset  
adducere ex actis, quod cum acta Marpurgum essent  
translata, Dn. von Ende solennissime protestatus fuerit,  
cum fama ferret publica, & acta & dominum de  
Marschalch Marpurgi esse, quod sententia nihilominus  
pro Dn. von Ende lata, quæ sane Marpurgensis erat,  
& Dn. de Marschalch omnino etiam ibi adfuerat, quod  
denique Marpurgo Wezlariam venerit, ibi quæ inter  
eum & procuratorum quandam circa collusionis ma-  
teriam, prout acta volunt, agitata sint, humaniores eri-  
mus non allegando, quod his omnibus non obstanti-  
bus dominus principalis ejus rite & optime ad juramen-  
tum prætensa via admittendus fuerit. Hæc circa fa-  
ctum & qualitates personarum monuisse sufficiat, bre-  
viter saltem, ne diutius in parergo commoremur, con-  
cludendo addimus, quoad punctum juris, quod acto-  
re licet plenissime probante, reus semiplenè saltem  
probans nihilominus ad juramentum suppletorium  
admitti possit, nisi omnem rei semiplenam probatio-  
nem rejicere sententia sit, quid enim probatio actio-  
nis conferre potest ad probationem exceptionis, circa  
quam probandam de actione plane nulla quæstio est,  
sed tantum, an non exceptione actio elisa sit, loqui-  
mur autem de exceptione actioni directo contraria v.  
g. solutionis vel pacti specialis, qualis in nostro casu  
adest, negamus deinceps juramentum credulitatis in  
suppletorio plane non habere locum, quod thetice  
negandum per vulgara hypothetice enim distinguimus  
quoque inter juramentum pro fundamento causæ &  
pto-

pro præsumtione & circumstantia quadam saltem adhbitum, denique addimus, si plures adsint litis confortes, unus jurando in supplementum reliquis prodest, puta si in rem juraverit.

## F I N I S.

---

### COROLLARIA.

#### I.

Provocatus homicida non est sicarius ideoque non tenetur L. Cornelias.

#### II.

Datur moderamen deculpatae tutelæ, quæ tametsi ratione defendantis putativa saltem sit, ad minimum tamen amovere potest dolum ab homicidio, pœnam ordinariam a culposo.

#### III.

Periculosem est, dolum præsumere ex facto illicito, tale enim nullum est, nisi vel propter dolum vel propter culpam, illicitum vero ex dolo, non est dolus præsumptus sed verus, ex culpa, neutrum, nisi omnem dolis & culpæ differentiam removere sententia sit.



05 H 475

ULB Halle

004 218 981

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-244924-p0036-5

DFG



*Ritz.* DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IVRIDICA  
DE  
**IVRAMENTO**  
**IN REM**

Autore L. i. s. 3. ff. Quar. Rer. act. non. dat.  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA,  
ET DVCATVS MAGDEBVRGICI GUBERNATORE,  
IN ILLVSTRI REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**SIMONE PETRO GASSER,**  
IVRIVM LICENTIATO,  
IN AVDITORIO MAIORI  
D. IVN. MDCCVI.  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
**IOHANNES BERNHARDVS** *Dollstein*,  
LAVTERBACO - FAGONO - FRANCVS.

F.v.L.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYRIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI, ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.  
MDCCXL. (4)

